Canonicus Poenitentiarius distributiones quotidianas suas facit

Pro eo tempore quo confessiones audit.

Canonicus Curatus distributiones quotidianas percipit

Pro eo tempore quo circa curam animarum occupatur.

In Capitulis plures inveniuntur gradus canonicorum.

Simplices Canonici, officium, personatum, vel dignitatem habentes, reliqui simplices dicuntur canonici qui adhuc in presbyteros, diaconos, et subdiaconos solent distribui.

Canonici in dignitate sunt

Qui habent praeeminentiam cum iurisdictione.

Canonici in dignitate sunt

Qui habent in personatu praeeminentiam absque iurisdictione.

Canonici dignitate et iurisdictione carentes.

Aliquo defunguntur peculiari ministerio et legendi S. Scripturam aut excipiendi fidelium confessiones.

Capitulum convocandum est

Ab Episcopo vel a digniore de capitulo, vel ab eo, ad quem de iure vel de consuetudine spectat.

Ad capitulum omnes sunt invitandi canonici vocales.

Qui in ordinariis capitulis, diebus statutis habendis, vocantur tacite, in extraordinariis et in iis in quibus de maioribus et gravioribus agitur, nominatim sunt vocandi.

Si unus tantum Canonicus per comtemptum non vocetur

Capituli vim evertere potest, si repugnet, vel eamdem magis confirmare si ratam habeat.

Comtemptus non vocandi canonicum ad capitulum resultat

Nedum ex actu negativo, sed magis adhuc ex actu positivo inhibendi, ne canonicus ad capitulum accedat.

Maior pars canonicorum

Dicitur quoad numerum.

Sanior pars canonicorum dicitur

Quoad consilium quod ex aetate, dignitate prudentia et pietate aestimatur.

Maioritas absoluta

Est relate ad omnes.

Maioritas relativa

Est relate ad singulos.

In decisionibus capitularibus requiritur maioritas absoluta.

Nempe decisio capitularis habere debet maiorem suffragiorum partem relate ad omnes praesentes qui saltem duas tertias canonicorum omnium partes debent regulariter efformare.

Si de iis est decisio quae Canonicis competunt non ut collegio, sed ut singulis, decisio maioris et sanioris partis non sufficeret.

Consensus omnium requiritur quia negotium quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari, sicut foret conferre ex proprio patrimonio, vel liberalitatem, sine causa necessitatis ex bonis ecclesiasticis facere.

De duobus tertiis partibus Canonicorum quae debent ad decisionem concurrere, non habet locum

Ubi iidem Canonici vocati ad Capitulum iniuste accedere recusent, aut ubi accedere nequeant; nam recusantes se faciunt a Capitulo alienos et impotentia aliquorum non debet aliis et Ecclesiae praesertim obesse.

In casibus in quibus canonici recusent aut nequeunt ad Capitulum accedere,

Tres tantum Canonici praesentes immo et duo et etiam unus in quibus vel in quo, Capitulum adhuc subsistere censetur, deliberare possunt.

De Capitulo Ecclesiae Cathedralis.

De Ecclesia Cathedrali.

Prima est omnium ecclesiarum dioecesis, omnium matrix, sedes, cathedra, thronus Episcopi et dioecesanae commuuionis centrum, supra omnes speciales attributiones habet, tum sede plena tum sede episcopali vacante.

Ecclesia cathedralis sede episcopali plena

Habet caput in Episcopo et membra in Canonicis; ideoque propria est Episcopi et Canonicorum, sed magis Episcopi est quam Canonicorum, eius regimen principaliter commissum Episcopo et secundario canonicis, ita ut communi voluntate et actione gubernetur.

Quae ad propriae mensae administrationem spectant

Olim erant inter Episcopum et canonicos communia, et nunc divisa.

Canonici absque Episcopi approbatione nil possunt innovare, et vicissim Episcopus.

Quod probatur ex antiqua Ecclesiae disciplina et ex iure scripto; Alexander III aiebat: « Ecclesiae tuae negotiis fratres tuos requiras et cum eorum consilio vel sanioris partis, eadem peragas et pertractes », intelligitur quae ad divinum cultum et ecclesiasticam disciplinam referuntur et inconsulto capitulo quod est aliquid gravioris novi momenti est.

Canonicorum con-

Illi divino monito est consentiens: « Fili, sine

silium quod debet Episcopus a suo Capitulo requirere

consilio nihil facias et post factum non poenitebis ». Hoc ipsum consilium modo simplicem consultationem modo consensum importat.

Capituli consilium Episcopus tenetur expetere sed non cogitur sequi.

Nam prodest ad causam melius cognoscendam et ad praeiudicatum avertendum iudicium, cum iuxta vulgi, adagium: « plus videant oculi quam oculus ».

Episcopus tenetur expetere et sequi Capituli consilium.

Quia consensus in hoc casu pertinet ad substantiam actus, sive est illa approbatio quam debet Episcopus a suo capitulo obtinere.

Iure Decretalium plures sunt casus

In quibus Episcopi debent a Capitulo suo requirere consensum vel obtinere.

Licet de iis quae fiunt a Prelatis sine consensu Capituli raro observantur tamen observantur.

Benedictus XIV ait: « Iure Decretalium Canonici Ecclesiae cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum; adeo ut non licet Episcopo aliquid gravis momenti negotium aggredi et deliberare, inconsulto Capitulo.

Episcopus etiam nunc debet Capituli sui consensum obtinere

In iis quae ad divinum officium, regimen ministrorum pertinent in augendis praebendis; in procedendo contra Canonicos in casibus a Tridentino determinatis; in convertendis relictis pro miserabilibus personis in alios pios usus, in constituendis examinatoribus synodalibus, in iis omnibus quae, Capituli interesse aut commune aut particulare respiciunt, quaeque statum afficiunt ipsius Ecclesiae; in recipiendo Missali S. Pii V quando prius aliud legitimum erat in usu.

Episcopus debet Capituli sui consilium requirere

In ferendis constitutionibus synodalibus, in distribuendis ordinibus Canonicorum; in iis quae ad Seminaria pertinent; in substituendis iudicibus synodalibus in locum demortuorum infra annum ab ultima Synodo.

Sede Episcopali vacante iurisdictio Episcopi in Capitulum cathedralis transit.

Iurisdictio Episcopi, vacante sede, Capitulum per Vicarium a se delectum in universa dioecesi exercet, ita ut loco Episcopi Ecclesiam regat et administret.

Sedes episcopalis vacat

Per mortem Episcopi; et haec administratio incipit a sufficienti facti notitia, si in longinquis Episcopus decedat, hucusque valide eiusdem Vicarius administret.

Sedes episcopalis vacat

Per renunciationem et translationem Episcopi; et administratio incipit a die, qua sufficienter cognoscitur,

renunciationem vel translationem fuisse a S. Pontifice in Consistorio admissam vel decretam.

Sedes episcopalis vacat

Per depositionem Episcopi et administratio incipit a die qua sufficienter cognoscitur sententia, si pronunciata sit super poena; nam si pronunciata sit super crimine, administratio non incipit nisi a deponente detur, vel privationis declaratio sequatur, vel ab ipso iure imponatur.

Cum Sedes Episcopalis vacat

Capitulum in locum succedit ipsius Episcopi.

Si Episcopus Vicarium Apostolicum habeat,

Sive a S. Pontifice, vel a S. Congregatione datum, quo casu Capituli successio et administratio excluditur et ipse Vicarius Apostolicus iurisdictionem exercet.

Iurisdictio ab Episcopo in Capitulum devoluta diu a toto corpore exerceri non potest.

Quia experientia compertum est, communem administrationem confusionem parere.

Capitulum, Sede vacante, tenetur unum vel plures oeconomos constituere

Qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant.

Capitulum, Sede vacante, tenetur tantum unum Vicarium Capitularem eligere.

Infra octo dies post Episcopi mortem, vel renunciationem, tantum unum Vicarium tenetur eligere, qui iurisdictionem in Capitulum transmissam exerceat.

Si infra octo dies non est electum Vicarium idoneum Capitularem

Electio devolvitur ad Metropolitanum; si ipsa Ecclesia metropolitana sit vacans, ad Episcopum Provinciae antiquiorem cathedra, non aetate; et si est exempta ad Episcopum propinquiorem.

Sede vacante non potest diu a toto Canonicorum corpore

Acquisita episcopalis iurisdictio exerceri; sed hoc non impedit quominus iurisdictio per octo dies utiles a toto Capitulo, non a Praeposito, vel eius prima dignitate, valide et licite ante Vicarii capitularis electionem exerceatur.

Non cogitur Capitulum, ut statim, habita vacationis notitiam, suum Vicarium eligat; sed potest licet non expediat, electionem usque ad ultimum diem differre.

At semel legitime facta Vicarii capitularis electione omnis iurisdictio Capituli in electum transit, ita ut nequeat limitari vel dari ad tempus, aut revocari, nisi ex iusta causa et habita a S. Congregatione facultate.

Iurisdictio a Vicario capitulari acquisita in eo viget,

Donec novus Episcopus litteras Apostolicas suae missionis acceperit, easque Capitulo praesentaverit, a quo die incipit ministrare promotus, cui interdicta est observantia.

Ad Vicarii capitularis munus assumendus est

Clericus, saltem prima tonsura initiatus, qui aetatem habeat 25 annorum, qui saltem in Iure canonico sit Doctor, licentiatus, Doctor in S. Theologia, vel alias quantum fieri potest idoneus.

Dicimus vel alias idoneus, quod ita interpretandum est:

Eligatur Doctor, etiamsi unus talis solummodo esset in Capitulo et si nullus Doctor idoneus esset in Capitulo vel extra, qui vellet Vicarii onus sustinere, ut eligatur non Doctor sed semper idoneus.

Quoad potestatem et iurisdictionem quae, sede vacante, devolvitur in Capitulum et deinceps in Vicarium capitularem, regulam conceptam ita statuimus:

Capitulum, vel Vicarius, sede episcopali vacante, succedit Episcopo in omnibus, quae pertinent ad potestatem iurisdictionis ordinariae tum in foro interno, tum in foro externo, tum in spiritualibus, quam in temporalibus, iis exceptis, quae in iure reperiuntur reservata.

Regula quoad potestatem Vicarii capitularis satis firma et fundata est

In iure, a quo statuitur iurisdictionem Episcopi, eiusque administrationem in spiritualibus et temporalibus, sede vacante, in Capitulum Ecclesiae cathedralis transire et ad ipsum Capitulum pertinere.

Regula de potestate Vicarii capitularis

Loquitur de potestate iurisdictionis, ideoque non comprehendit potestatem ordinis, ut confirmare etc.

Exercitium potestatis ordinis ex iurisdictionis potestate pendet.

Ita Vicarius capitularis potest quocumque tempore extraneum adhibere Episcopum ad haec peragenda.

Ad collationem ordinum non potest Vicarius litteras dimissorias dare

Nisi post annum a die vacationis sedis, ubi de arctatis non agitur.

Regula de potestate Vicarii loquitur de iurisdictione ordinaria.

Ideoque non comprehendit ea, quae speciali privilegio fuerunt Episcopo concessa, quia *privilegium personale, personam sequitur et cum persona extinguitur.*

Regula de potestate Vicarii non comprehendit ea in quibus Episcopus procedit ut S. Sedis delegatus.

Quia in his nulla est communio inter Episcopum et Capitulum et nulla proinde debet esse successio.

Regula de potestate Vicarii comprehendit, ea, quae pertinent ad forum internum.

Uti est approbare confessarios, absolvere a casibus Episcopo reservatis, vota non reservata commutare et in illis casibus dispensare, in quibus Episcopus potestate ordinaria dispensat.

Regula de potestate Vicarii comprehendit ea quae pertinent ad forum externum.

Ut est in criminosos inquirere et causas conoscere etiam matrimoniales; visitare Dioecesim; Synodum dioecesanam cogere; concedere edicta.

Regula de potestate Vicarii comprehendit ea quae spiritualia sunt.

Uti sententiam ferre excommunicationis, suspensionis et interdicti; processus conficere super fama virtutum et miraculorum servorum Dei, et modum horarum, divinique cultus convenienter Ecclesiae legibus determinare.

Regula de potestate Vicarii capitularis comprehendit ea quae temporalia sunt.

Ut est executioni demandare ultimas piorum benefactorum voluntates, ab earumdem administratoribus rationes exigere, statuere oeconomos in paroeciis vacantibus cum congrua assignatione fructuum, pro iisdem concursum indicere, et magis idoneum S. Pontifici proponere sive commendare, ut ab eodem parochiae provisio fiat.

Omnia spiritualia et temporalia Ordinariorum Vicarius potest peragere.

Quia Vicarius capitularis non est procurator Episcopi, ut Vicarius Generalis, sed successor et in quantum succedit non est Episcopo inferior, sed aequalis.

Regula de potestate Vicarii capitularis limitatur in casibus a iure reservatis, in quibus Capitulum eiusque Vicarius Episcopo non succedit.

Vicarius Capitularis nequit beneficia conferre quae ad solius Episcopi collationem spectant; res Ecclesiae, aut Episcopatus alienare nequit; aliquid facere, per quod status Ecclesiae, aut iura diminuantur Episcopi; his de rebus nequit litem movere, aut prosequi iam motam, enim sententia foret nulla, quia Episcopus futurus legitimo defensore caret, ut probatur ex toto titulo Decretalium, ne sed. vac. innov. aliq.

Officium Vicarii cessat

Cum praesentantur Capitulo novi Episcopi Apostolicae Litterae provisionis.

Vicarius Capitularis.

Debet suae administrationis rationes novo Episcopo reddere et subire syndicatum.

De Praelatis Inferioribus.

Praelati inferiores

Medium quoddam constituunt inter Episcopos et Parochos.

Prima species horum Praelatorum qui Abbates quoque nuncupantur

Est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius Ecclesiae, monasterii seu conventus, cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi.

Superiores Regulares et Praelati saeculares sunt

Qui una cum Ecclesia, eiusque Ecclesiae clericis et administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate Summo Pontifici.

Secunda species Praelatorum est

Habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim qua undique circumscribitur.

Praelati huiusmodi

Improprie tantum et lato quodam dicendi modo dicuntur esse *Nullius*.

Tertia species Praelatorum est

Qui iurisdictionem activam in clerum et populum alicuius loci omnino avulsa et separata a cuiuslibet Episcopi dioecesi: constituunt quasi dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet.

Huius generis Praelati inter inferiores

Nobilissimi sunt, dicuntur vere et proprie *Nullius* et veris annumerantur Ordinariis locorum.

Praelati Ordinarii inferiores

Iurisdictionem quasi episcopalem, voluntariam et contentiosam, ex Apostolicis privilegiis aut legitime praescriptis consuetudinibus, in subditos exercere possunt.

Quaedam capita excepta sunt iurisdictionis Praelatorum qui inferioreres dicuntur.

Synodum dioecesanam cogere non possunt, parochias conferre, clericos saeculares ad ordines promovere, aut iisdem ad ordines consequendos litteras dimissorias dare, his debent ad Episcopum viciniorem recurrere, cui ipsorum territorium subiicitur.

De Parochis.

Sacerdos vel clericus intra annum Sacerdotio initiandus, legitime ab Episcopo vel a Papa, si parochia sit reservata, deputatus ad regendam determinatam dioecesis portionem cum ordinaria potestate sacramenta aliaque spiritualia bona in ipsa ministrandi. — Parochus est

Proprius relate ad omnes sibi commissos fideles. — Parochus dicitur

Plebanus a plebe cui adsistit. — Parochus dicitur

Rector ab officio regendi in Christi nomine et mysteriis populum. — Parochus dicitur

Curatus a cura animarum, quam exercet. — Parochus dicitur

Indicant honoris titulum a dignitatibus Ecclesiae cathedralis mutuatum. — Nomina Praepositi et Archiepresbyteri, quibus Parochos nuncupantur,

Ea dioecesis portio, quae ab Episcopis vel Superiore regenda Parocho committitur. Omnino debet aut ratione territorii aut saltem ratione personarum, esse determinata et suam aptam habere Ecclesiam, quae parochialis nuncupatur. — Dicitur a latinis Parochia et a graecis Paroecia

Nam plurium administratio generat confusionem, et precarius minister neque satis potest suas agnoscere oves, neque solet dispositus esse ad animam suam ponere pro animabus sibi commissis cum esse possit alius qui de illis rationem sit redditurus. — Unus et Perpetuus ex regula generali constituendus est in Parochia Parochus.

Plures in una parochia admittuntur parochi et etiam amovibiles. — Ex consuetudine vel iusta causa a iure probata, vel a S. Congregatione

Proinde potest aliis clericis idoneis delegare; sed ad forum internum proprie restringitur: nam in foro externo iurisdictione maxime contentiosa caret. — Parochi potestas est ordinaria.

Causae omnes ad Episcopum sunt deferendae et nemo etiam Parochus eas facultatem habet cognoscendi. — Ex iuris dispositione

Qui Parocho potestatem tribuunt ferendi censuras aut sibi reservandi quorumdam peccatorum absolutionem. — Multum aberrant